

10845.

DE
P O L I T I A
S C T I V E L L E I A N I
DE FIDEIVSSIONE FEMINARVM
P R A E F A T V R

S I M V L Q V E
A D

O R A T I O N E M

Q V A

MVNVS PROFESSORIS EXTRAORDINARII IVRIS

I N

A C A D E M I A L I P S I E N S I
C L E M E N T I S S I M E D E M A N D A T V M

DIE XXVIII. MAII ANNO CIOCCCLIV.

RITE AVSPICABITVR

A V D I E N D A M

H V M A N I S S I M E I N V I T A T

C H R I S T I A N V S H E N R I C V S B R E V N I N G

I. V. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A N A .

V. N. 436..

Diss. jur. civ.

217,10

A-M

[Faint handwritten signature]

1081.

P O L I T I A
S C H T I V E L L E I A N T I
D E R S A C H S I S C H E N L A N D E S R E G I E R U N G

P R A E F A T I O

S T I L L E G E

O R A T I O N E M

W I S S E N S C H A F T L I C H E S I N S T I T U T

A C A D E M I A S C I E N T I A R U M

C L A S S I C A E R A T I O N E M

D I E S E I N T R O D U C T I O N

I N D I E S E A C A D E M I E

A N T I Q U A R I A T

I N H A N D L U N G

C H R I S T I A N S H E I N R I C H S E R V I N G

V O N D E R F A C U L T A T E D E R

H U M A N I A N A R I A T

F I L I A E

O F F I C I N A P A R A G R A P H I C A

1. 11. 1801.



D E
P O L I T I A
S C T I V E L L E I A N I
D E F I D E I V S S I O N E F E M I N A R V M .



§. I.

Recte quidem maiestatis vox pro lege est, sed sit vox maiestatis non aequae tyranni. Fuit quondam et est vel hodie maiestatis obligatio prima, ut civium, qui conventionem iura sua in eum transtulere, pacem externam et unionis conservationem quaereret. Haec maiestatis prima obligatio a tyranno, qui sui causas civis, non se civium causa genitum putat, sicque ad libidinem cuncta agit, negligitur. Is enim tyrannus est, qui nec iustum curat, ad quod perfecte aut a natura aut ex pacto translatae maiestatis, obligabatur, nec honestum observat, licet eundem animi tranquillitas satis valide obliget, nec politiam colit, nisi eam, quae suae convenit libidini. Neque adeo omnem translatae putarem in maiestatem voluntatem, ut nihil nisi sola obsequii gloria relicta sit civibus, si secundum naturam rem consideres. Est enim pactitia praecipue obligatio (non enim agimus de victore;) et quis paciscentium alteri parti denegaret potestatem iudicandi, an obligatus suae satisfaceret obligationi? Applicata ad principem, nisi sic: servum pecus habebis, non civis, non liberos homines. Obligat ergo vox principis, non utique animi cogitatum, nisi accesserit obligandi medium promulgatio. Sed sic in lege scripta; secus in

A 2

con-

IV

consuetudine, quae taciturnitate maiestatis nititur, continuata tamen per temporis spatium. Prima itaque νομωθεσίας causa posita est in obtinendo ciuitatis fine, qui cum variis modis obtineri queat, modus ille, quem legislator sibi concepit, quo illum finem obtineret, saepissime proximam legis latae causam offert. Conseruanda est vnio: Ciues ergo adsint necesse est, qui defendere possunt rempublicam: coërcendi sunt propterea homines a vaga libidine et commendanda matrimonia, quo melius conseruetur vnionis splendor: vt ergo contrahant matrimonia, quia stricta nulla adest obligatio, praemia πολυπαιδίας statuenda. Est demum id peculiare, vt praeter eas, quae naturales sunt obligationes vel perfectae, alias agendi causas quaeuis sibi gens habeat proprias, non in natura ciuitatis positas, sed arbitrio, interdum ex vtilitatis opinionibus, interdum vero et haud raro etiam ex improbandis causis receptas, quae dein propriam suae ciuitatis politiam constituunt. Nec raro legibus ferendis causas ministrat vel superstitio vel religio, cuius ope saepe et auxilio utebantur legislatores ad firmandam reipublicae vnionem, imo quo legibus maiorem pararent autoritatem.

§. II.

Omniū ex ciuitatis iure vniuersali ciuium aequalis est conditio, nec per se cuiquam ciuium ius competit alios opprimendi. Effecit tamen imperandi studium, vt alius alium durante nihilominus vnione vel opprimeret vel saltem quaedam aequalitatis iura denegaret. Sic prima quondam in Romana Republica Patriciorum cura erat, vt plebem opprimerent. Haec vero ipsa Patriciorum studia haud raro et legibus et iuribus causam dedere. Habes causam Patrum cum plebe prohibitorum conuulsiōnis. Quae sectionis debitorum causa, qua nihil immitius nihil immanius ipse testatur GELLIVS ^{a)}, qui vix recte scripsisset, si vera fuissent, quae exposuerat Corn. Van. BYNKERSHOEK ^{b)} recte refutatus a IVGLERO ^{c)}, nisi opprimendae plebis studium. Da quaeso aliam rationem, cur romani non dederint ex nudo pacto actionem, nisi ea vera sit, quod Patricii Magistratus nihil validum iudicauerint, nisi quod ad Patrum formulas, et ceremonias

a) GELLIVS in Noct. Attic. Lib. XX. cap. I.

b) v. BYNKERSHOEK Observat. Lib. I. cap. I.

c) IVGLERVS Diss. Dubia de Section. debitorum apud Romanos.

V

nias peractum, quod demum, communicatis nihilominus quoque cum plebe magistratibus, tacito populi consensu ratum permanfit. Quis enim in Romanorum ad promittendum facilitate causam quaereret, nisi insaniat, quasi facilius fuerit ad alterius preces verbis obligatoriis aliis respondere, quam spondendi stipulandique formula, quae vsitatissima debebat esse Romanis. Fieri hinc potuit, vt postea Praetores dederint ex pacto nudo exceptionem.

§. III.

Neque vero minus *Lex legi, ius iuri* saepissime causam dedit, quam, si leges, si iura interpretanda sunt, curatius perspiciamus necesse est, nisi sic agamus, nec interpretes boni erimus nec recte vnquam leges applicabimus. Interpretamur, si eas notiones, ea cogitata animi eruimus, quae autor habuerat, iisque demum perspectis, intelligimus. Probe itaque in iure separanda sunt ea, quae *iuris naturalis* sunt vel *ciuilis vniuersalis*, vel quae ex *honesti praeceptis* approbavit ciuitas, ab iis quae ex arbitrio constituit, quae ad politiam ciuitatis excogitata et statuta sunt. Nisi ergo hanc ciuitatis politiam probe sciueris, caue dicas, te legem intelligere, quae arbitraria ciuitatis continet: et quae tunc legis vel male vel plane non intellectae erit applicatio? aut nulla, aut ridicula, aut plane absurda.

§. IV.

Cum per naturam omnes homines aequales sint, vt alteri in alterum imperium haud competat, iure ciuili vniuersali imperium mariti in vxorem nunquam competet. Delirant ii, qui tale ius marito tribuunt, fingant enim necesse est, statum familiae in iure naturali, in quo tamen neque status neque personae qualitas, nec deprehendi potest nec cogitari quidem, nisi apud quem ingenium male habitat. Factum tamen est in ciuitatibus, vt marito non tantum primas dederint prae coniuge partes, sed adeo imperium et haud raro dominium. Exemplo sunt Romani. Non enim tantum apud eosdem masculorum maxime antiquo iure potior fuerat conditio, sed et adeo nuptae, si in manus conuenerant maritorum, horum subiectae erant quiritorio dominio. Dabis si placet, causam, nisi cum primum homines in familias coaluerint, hae plures demum ciuitatem constituerint, qua constituta conseruandae familiae cura remansit, quam curam superstitio

VI

stitio demum coniunxerat cum sacris, quippe hanc superstitionem optimum conseruandae vnionis et internae tranquillitatis medium prudentiores inter romanos deprehenderent. Peruidebant, per feminas haud familias posse conseruari, et cum in generando et familia defendenda prima maris esset conditio, opus erat, vt masculis potiora concederent iura. Inde sequebatur, nihil ratum agi posse a feminis, nisi quod ad familiae vtilitatem comparatum, vel a marito, in cuius manus conuenerat, vel ab agnatis, quorum tutelae ius feminas commendauerat, probatum. Legis *Claudia* mentionem facit *VLPIANVS*^{d)}. Ait: *Feminarum autem legitimas tutelae lex Claudia sustinet.* Notat *Iac. CUIACIUS*^{e)} legendum esse *sustulit*, postea a *CONSTANTINO*^{f)} rursus sublatam adfirmat *Claudia* legem. Sed alia non addo, dixerat in hanc rem *Ant. SCHVLTING*^{g)}. Fiebat tamen, vt nec agnati adessent, qui sua autoritate feminarum negotia comprobarent, lex *Atilia* a Praetore et maiore parte Tribunorum plebis tutores dari iussit, probante *VLPIANO*^{h)}.) Mirum in hoc dissensum vnus Tribuni, interposito licet alias fortissimo *to veto*, nihil impedire potuisse, quo minus daretur tutor.

§. V.

Accesserat praeterea alia causa, quae deteriore effecit mulierum conditionem, videlicet *Zelotypia* romanorum. Iam Romuli aetate vini vsus mulieribus interdictus adfirmante *DIONYSIO HALICARNASS.*ⁱ⁾ Nec sine poena hoc admissum fuit delictum, sed a marito adhibitis propinquis damnabatur, et causam habet *VALERIUS MAXIMVS*^{k)} *ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Sic ex eodem pudicitiae cultu prohibuerant, quominus causas in foro agerent feminae, muneraque publica fusciperent, ne pudicitiae insidiae fierent, et cum *C. Afrania*, *Licinii Buccionis* senatoris Romani vxor, *impudentia*

d) *VLPIANVS Fragm. Tit. XI. §. 8.*

e) *CUIACIUS Not. ad Vlpian. loc. cit.*

f) *CONSTANTINVS L. III. C. de leg. tut.*

g) *SCHVLTING ad Vlpian. loc. cit.*

h) *VLPIANVS Fragm. Tit. XI. §. 18.*

i) *DIONYSIUS HALICARNASS. H. R. Lib. II. p. 95.*

k) *VALERIUS MAXIMVS Lib. II. Cap. I.*

prudencia abundaret, ut testis est VALERIVS MAXIMVS¹⁾, factum ut denuo feminis postulandi licentia nunquam perfecta concessa, denegaretur. Redde si placet, causam aliam, quam pudicitiae cultum, cur patri vnica tantum venditio filiae permisa fuerit? Adde tamen quae notauit SCHVLTINGIVS^{m)}. Pariter noluit ius ciuile romanum, ut mulieres fideiufforum officia subeant, et sunt inter interpretes, qui et in hac iuris prohibitione Zelotypian inuenisse sibi persuadent. Consentio, si remotam putant causam, dissentio, si proximam. Non hic repeto, quae de interdita fideiuffione scripsere DVARENVSⁿ⁾, LESCHASSERIVS^{o)}, *Petr. de* LVDEWIG^{p)} THOMASIVS^{q)} et alii, dicam saltem causam quae Romanos commouere poterat, ut a fideiuffione arcerent feminas.

§. VI.

Feminae ne fideiubeant vel intercedant pro masculis. Causa sit Zelotypia; sic interea adfirmabimus. Caue hanc impugnes causam, quod forsan nemo inter Romanos vetularum et deformium pudicitiae fuerit insidiator, ut cessante causa, iuris cesset prohibitio, cum tamen nec vetularum nec deformium iura aequalia sint masculorum iuribus. Bellissime, si sic philosophati fuissent Romani. Sed aliter philosophabantur, quippe ad sexum respexerunt, non ad eos, qui forsan forma sua libidinem excitare poterant. Dein imperii studiosi Romani semel dominos vxorum maxime se fecerant, cuius rei causam aliquam in *Sabinarum raptu* positam conicias, quam continuauit postea coemptio. Non tulere ergo, ut aequales sint masculis mulieres, quas primum raptu sibi proprias occupauerant, semel occupatas coemptione ad alios deferebant, imo quas postea rebus adeo in commercio existentibus adnumerabant, ut vfucapione acquiri potuerint. Iam ad rem ipsam. Dixi, *legem legi*, vel ius iuri causam dedisse. Videamus ergo an bene?

§. VII.

1) VALERIVS MAXIMVS *Memor. Lib. VIII. Cap. III.*

m) SCHVLTING *in Not. ad Vlpian. Fragm. Tit. X. §. 1. n. 7.*

n) DVARENVS *ad Tit. de SCto Vellei. Opp. p. 985.*

o) LESCHASSERIVS *de renuntiatione SCti Velleiani.*

p) *de* LVDEWIG *de SCto Velleiano. Diff. duae.*

q) THOMASIVS *de exiguo vsu SCti Velleiani Diff.*

Interdixerant iura fideiussiones et intercessionem mulierum. Primum ut docet VLPPIANVS^{r)} Augusti, postea Claudii temporis cautum fuerat: *ne feminae pro viris suis intercederent*. Sed his legibus non omnes feminae tenebantur, nec omnes feminarum intercessionem improbabantur, sed tenebantur solum maritatae, harumque solum pro viris suis fideiussiones nullae. Causam quis non peruideat, cur sic statuerint Augustus et Claudius? Iam pergunt Vlpianus, postea factum est Sctum (VELLEIANVM) quo plenissime feminis OMNIBVS subuentum est. Sit ergo ius sub Augusto et Claudio statutum prius, Sctum Velleianum posterius, necesse est, quia, quod quibusdam prius interdictum fuerat, postea omnes tenuit. Miror haec non peruidisse HEINECCIUM^{s)} qui huius Scti aetatem ad A. V. C. DCCLXIII. refert, argumento, quod apud GRVTERVM^{t)} illius anni L. Silanum et C. Velleium Tutorem COSS. inuenerat. Taxauerat eum Herm. NOORDKERK^{v)} et recte quidem, quia iam hanc opinionem damnauerat Vlpianus, qui post Claudii tempora factum fuisse diserte testatus erat. Addere poterat Hermannus, non dici Vlpiano Lucium Silanum, sed Marcum, hinc non eum Scti autorem esse, quem feliciter inter suspectos reperisse sibi persuadebat HEINECCIUS^{x)} Noordkerkium refutans, sed refutans nullo idoneo argumento. Nullum enim est argumentum, quod alium Consulem non inuenerit, sed ideo est nullum, quia, quem inuenit, ordini chronotactico legum contrarius est. Nec crederem vnquam, licet trecenties et amplius dixerit Heineccius, Ictorum fidem historicam in legum chronologia esse dubiam. Tunc mihi non sunt Icti, sed Barbari. Et vellem sapuisset Heineccius ex Ant. SCHVLTINGIO^{y)} quem improbe non consuluit. Refert Schultingius hoc Sctum ad A. V. C. DCCIC. seu ad Annum Christi XLVI. quo M. Iunium Silanum et L. Valerium Asiaticum COSS. retulerat DIO CASSIVS^{z)} superaddito hoc: *Valerium voluntarie*

r) VLPPIANVS in L. 2. pr. π . ad Sctum. Vellei.

s) HEINECCIUS in Pandect. P. III. §. 196. * et Hist. Iur. L. I. p. 162.

t) GRVTERVS in Inscript. CCCCLXX. 1. 2.

v) NOORDKERK ad Leg. Petroniam pag. 94.

x) HEINECCIUS Hist. Iur. cit. loc. sub *

y) SCHVLTING in Not. ad Vlpian. Fragm. Tit. XXII. §. 19. n. 52.

z) DIO CASSIVS Lib. LX. p. 685.

tarie se abdicasse magistratui. Coniicit inde Schultingius fuisse in eius locum sine dubio successum C. Velleium Tutorem, ut sic utrosque S^Cti auctores, videlicet M. Iunium Silanum et C. Velleium Tutorem C^SS. habeas. Caue itaque, ut Vlpiani chronologicam ἀκριβείαν taxemus.

§. VIII.

Iam ad S^Ctum. Verba habet VLPIANVS ^{a)}, quae adscribamus. QVOD MARCVS SILANVS ET VELLEVS TVTOR CONSVLES VERBA FECERVNT DE OBLIGATIONIBVS FEMINARVM, QVAE PRO ALIIS REAE FIERENT, QVID DE EA RE FIERI OPORTET, DE EA RE ITA CONSVLVERVNT. QVOD AD FIDEIVSSIONES ET MUTVI DATIONES PRO ALIIS, QVIBVS INTERCESSERVNT FEMINAE, PERTINET: TAMETSI ANTE VIDETVR ITA IVS DICTVM ESSE, NE EO NOMINE AB HIS PETITIO NEVE IN EAS ACTIO DETVR; CVM EAS VIRILIBVS OFFICIIS FVNGI, ET EIVS GENERIS OBLIGATIONIBVS OBSTRINGI NON SIT AEQVVM: ARBITRARI SENATVM, RECTE ATQVE ORDINE FACTVROS, AD QVOS DE EA RE IN IVRE ADITVM ERIT, SI DEDERINT OPERAM, VT IN EA RE SENATVS VOLVNTAS SERVETVR. Repetit ergo hoc S^Ctum ius prius, cuius rationem continent ipsa verba: cum eae virilibus officiis haud fungebantur et eius generis obligationibus haud obstringebantur feminae. Opem tulit Amplissimi Ordinis laudata providentia mulieribus propter Sexus imbecillitatem, sic ipse *Domitius*. Iterum quaero, quae illa imbecillitas? an a natura? an ab opinione populi? Posterius verum videtur. Placuerat enim masculis, se esse velle robustiores, acutiores, prudentiores, et paucis, se velle esse dominos. Sint imbecilliores feminae, sed sint in naturalibus, quae non ad edictum Praetoris, et si sint in moralibus, causam non habet natura, sed vel libido, vel educatio. Et quot amentes produxit natura masculos, ut curatoribus imo et curatricibus feminis egeant. Effecit haec imbecillitas, ut civilia officia ademta sint feminis, quod PAVLVVS ^{b)} tribuit moribus. Qui sint mores, hic non ago; dixit iam

a) VLPIANVS in L. 2. §. 1. π. ad S^Ctum Velleian.

b) PAVLVVS in L. 1. π. ad S^Ctum Velleian.

X

iam satis SCHVBART ^{c)} et Clar. RICHTERVS ^{d)}. Et hinc diu ante SCtum Velleianum vix valide fideiubebant mulieres, nisi dicas, tutore autore factum esse in solutis. Sed iam iudicabis, vel ante tempora Augusti, vel hoc imperante, intercessisse mulieres, neglecto eo, quod mores iusserant. Faciles maxime post Legem Papiam Poppaeam fecit fideiussiones, quod inter priuilegia terreniarum id constitutum esset, vt a perpetua feminae liberarentur tutela. Constituerat enim lex, vt ingenua ter enixa et libertina, quae quater peperisset, sui iuris esset, cuius rei elegans testimonium est in Fragmento Regularum ex Veteri ICTO ^{e)} et apud VLPIANVM ^{f)}. Facilime ergo fideiubebat femina a tutela liberata. Licet vero Augustus et Claudius Imperatores, vxoribus pro maritis intercedere prohibuerint, nihil tamen obstabat, quominus non aequae pro aliis intercederent, quod non erat prohibitum, licet ante videtur ius esse dictum, ne in mulieres fideiubentes actio daretur. Iam matrimonia studiosissime commendabat Lex Papiam Poppaea statutis in hunc finem vtrique sexui praemiis. At sic poterat haec feminarum licentia fideiubendi causa esse, vt amplius legi parere non possent; quam facilime enim rei suae iacturam faciebant fideiussione, vt sic indotatae fierent. Nam antiquitus non prius conueniendus debitor, sed ipse statim fideiussor conueniri poterat. Si ergo fideiusserat femina, non solvente debitore, conuenta creditori satisfecerat, sed diminuta dote certe satisfecerat, et sic ad inopiam facile redacta, non habebat, quam constitueret dotem, sine qua ducta non vxor, sed concubina efficiebatur, vt docuit HEINECCIUS ^{g)} ex PLAVTO ^{h)}, cuius sunt verba:

*Me germanam meam sororem in concubinatum Tibi
Sic sine dote dedisse magis quam in matrimonium.*

§. IX.

Iam itaque exigebat Politia, vt a fideiussione coercerentur feminae. Sed ad haec respexisse amplissimum ordinem, testari viderur:

c) SCHVBART. *de Fatis Iurisprud.*

d) RICHTERVS *de moribus maiorum Diff.*

e) Fragment Regul. ex Veter. ICTO §. 15. in Schulting. *Iurispr. Anteiust.*

f) VLPIANVS *Fragm. Tit. XXIX. §. 2. et 3.*

g) HEINECCIUS *in Antiq. Iur. Lib. II. Tit. VIII. §. 3.*

h) PLAVTVS *in Trin. Act. III. Sc. II. v. 63.*

videtur PAVLVSⁱ⁾. Ait: Adimendum multo magis fuit id officium, in quo non sola opera nudumque ministerium earum versaretur, sed etiam PERICVLVM REI FAMILIARIS. Intelliges iam, cur idem PAVLVS^{k)} quondam scripserat: Reipublicae interest, mulieres dotes habere saluas, propter quas nubere possunt. Iam cum quondam Lex Voconia intestabiles scriberet feminas, probante id Franc. BALDVINO^{l)} et Iac. PERIZONIO^{m)}, praeterquam quo ad dotis quantitatem quam lex constituerat, de qua quantitate iam non ago; dixit adductis aliis in hanc rem satis Abr. WIELINGⁿ⁾. Sed egerat Lex tantum de testamentariis hereditibus; causa est, quia sacra familiarum nullae feminae, sed soli habebant sui iuris mares, ut ergo bona, quae sacris adnexa erant, semper apud eos manerent, qui sacris praeesse possent. Hac Voconiana ratione ad quam prouocat PAVLVS^{o)} de qua lectione conferas Iac. CUIACIUM^{p)} et Ant. SCHVLTING^{q)} feminae ad legitimas hereditates ultra consanguineas successiones non admittebantur. Cum itaque bona tantum feminis darentur, ut haberent, unde dotem constituerent, necesse erat, ut ea officia mulieribus adimerentur, quae periculum adferrent doti, qua opus erat ad contrahendum matrimonium lege Papia Poppea ciuibus iniunctum et praemiis commendandum. Vtrumque ergo, et matrimoniorum contrahendorum studium, et dotium conseruandarum cura, proximam SCto Velleiano dedere causam.

§. X.

Quae cum ita sint, dubium non est, Veteres quoque ICtos ad hanc in decidendis causis rationem respexisse. Elegans exemplum est apud CALLISTRATVM^{r)}. Quaerebatur enim ex facto, cum mulier intercessisset pro aliquo mutuum forsan contrahente, nec renuntiaffet SCti beneficio, postea mutua ea sumpta pecunia

B 2

in

- i) PAVLVS in L. I. π . ad SCtum Velleianum.
- k) IDEM in L. II. π . de iure dotium.
- l) BALDVINVS ad Leg. Voconiam. p. 4. sqq.
- m) PERIZONIUS diff. ad Legem Vocon.
- n) WIELING Lect. Iur. Ciu. Lib. II. c. XXIII.
- o) PAVLVS Recept. Sent. Lib. IV. Tit. VIII. §. 22.
- p) CUIACIUS in Not. ad Pauli loc. cit. n. 53.
- q) SCHVLTING in Not. ad eund. Pauli loc. n. 55. *
- r) CALLISTRATVS in L. 21. pr. ff. ad SCtum Velleianum.

XII

in rem ipsius mulieris versa est: an beneficio S^Cti tuta credito-
rem agentem exceptione opposita repellere posset? Respondit:
Exceptionem S^Cti locum non habere, addita tamen ratione: *QVIA*
NON FIT PAUPERIOR; erat enim pecunia in vtilitatem mulieris
versa, quod nisi sic factum; *pauperior* fieret, id est, vel diminuere-
tur vel amitteretur dos, quae, vt nubere posset conseruanda, aut
si iam nupsisset, cuius ciuile dominium ad maritum pertineret,
vt, sic diminui non posset. Neque et tunc diminuenda, vnde
enim diuortio facto, quae ex sua exierat familia per nuptias,
alenda mulier et iterum dos constituenda?

Ita vero philosophabar. Plura non addo. Venio ad ea
propter quae haec scripta sunt. Placuit SERENISSIMO atque
POTENTISSIMO REGI atque PRINCIPI FRIDERICO
AVGVSTO AVGVSTISSIMO PATRIAE PATRI, regia sua
gratia eaque plane indulgentissima dignum me iudicare, cui mu-
nus PROFESSORIS IVRIS in hac Academia Patria, Musarum
Sede celebratissima, extra ordinem clementissime demandaret.
Hoc munus auspiciandum est. Faciam id piis nuncupatis votis.
Reddam gratias deuinctissimas OPTVMO PRINCIPI AVGVSTO
FELICISSIMO, PISSIMO. Dicam vero simul ex more maiorum
de Autoritate Poetarum maxime Virgilii apud Iureconsultos. Vt
ergo mea audiatis vota, *Reclor Academiae Magnifice, Comites Illu-*
strissimi, Academiae Proceres Amplissimi, et Tu Generosissima atque
Nobilissima Iuuentus studiosa, ea qua par est reuerentia et studio
humanissime rogo atque inuito. Dabam Lipsiae d. XXVIII.
Maii CIOIOCCLIIII.

